

Peter Wasmund

**Programma Quo ad exequias funebres Quas ... Vir Dn. Theodorus Varmeier I.U.D.  
... eiusq[ue] uxor charissima Desideratißimae suae filiolae Elisabethae Hodie ...  
paratas cupiunt : Omnes omnium ordinum Academiae cives peramanter invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77713831X>

Druck    Freier  Zugang



**Wasmundt, P.,**

**in E. Varmeier**

**Rost. 1631.**



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77713831X/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77713831X/phys_0002)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77713831X/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77713831X/phys_0003)

DFG



# Programma

*Quo*  
Ad exequias funebres

*Quas*  
Clarissimus & Consultissimus Vir

**DN. THEODORUS  
V ARMEIER**

J. U. D. & judicij Provincialis ac Ec-  
clesiastici in Megapoli Advocatus & Procurator  
vigilantissimus, ejusq; uxor cha-  
rissima.

*Desideratissimæ suæ filiolæ*

**ELISABETHÆ**

*Hodie hora prima pomeridiana in templo Mariano  
paratas cupiunt,*

**RECTOR**

Academiae Rostochiensis

**P E T R U S W A S M U N D T**




J. U. D. & Professor.

*Quaecumque ordinum Academæ cives pera-  
mantur invitat.*



**ROSTOCHI**

*Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.*  
Anno M. DC. XXXL



RECTOR  
Academie Rostochiensis  
PETRUS WASMUNDT  
J. U. D. & Professor.

**S**E anima hominis , e-  
jusq; vel mortalitate vel  
immortalitate , alia fuit  
Ethnicorum & hæreticorū  
quorundam ; alia Christia-  
norum opinio . Pleriq; e-  
nim Ethnici non solum in  
magna securitate , immemores futuræ vitæ , im-  
pici vixerunt , sed etiam perpetua monumenta  
suæ profanitatis ad posteritatem extare laudi  
sibi duxerunt . Aristoxenus Philosophus asse-  
rere ausus fuit , nullam omnino esse animam ,  
etiam cum vivit in corpore ; sed sicuti in fidibus  
ex intensione nervorum efficitur suavis sonus  
atq; cantus , quem Musici harmoniam vocant ;  
ita in corporibus ex compage viscerum ac vi-  
gore membrorum vim sentiendi existere , quo  
nihil deliriū dici potest . Majori autem ad-

A 2 mira-

miratione dignum videtur, quod in populo  
Dei Sadducæi, qui, corrupti Philosophia Græ-  
ca, multa cum Epicuræis habuerunt commu-  
nia, palam carnis resurrectionem Angelos &  
Spiritus impugnare & negare ausi fuerint, sicut  
**ex** sacris literis videre licet. Quis porro sine  
rubore vel potius horrore proferte audet, non  
paucos reperiri, qui et si Christiani perhiberè  
volunt, tamen præcipuum articulum fidei suæ,  
vel non credere, vel in dubium vocare, vel  
etiam omnino impugnare audent, ut patrum  
nostrorum memoria de Serveto & alijs literis  
proditum est, qui etiam animæ mortalitatem  
asserere conati fuere. Manichæi sanè, ut ex  
Augustino liquet, resurrectionem carnis nega-  
bant, pro ea tamen μετα ψόχων substituebant,  
per quam humanæ animæ in alia corpora mi-  
grarent, eorum nempe, quos quisq; in hac vi-  
ta amasset, vel etiam occidisset: ut, qui mu-  
scam vel murem occidisset, in muscam vel mu-  
rem mutaretur: atq; ut ulterius delirare per-  
gebant, contrariam sortem ille sortiretur ho-  
mo, quam hic quisq; nostrum habuisset: dives  
nimirum in pauperem, pauper in divitem re-  
nasceretur. Quid autem obsecro veris Chri-  
stianis absurdius hac opinione, aut quid illis  
reliquum

relicuum solatij esset, si spes alterius vitæ felicissimæ post tot ærumnas illis auferretur? Re-  
ctè itaq; post Apostolum Ignatius dicit: Si in  
haç vita tantum in Christo speramus, misera-  
biliores sumus omnibus hominibus. Si mortui  
non resurgent, edamus, bibamus, cras enim  
morimur? Hoc vero modo affectis nobis, quod  
discrimen erit inter nos & bestias, quæ futuro  
rum nullam habentes rationem solum carna-  
lēm appetitum habent: destitutæ enim sunt  
ratione, mentem intus gubernante. Huc spe-  
ctat doctrina Chrysost. Quum, inquit, videris  
justum premi & vexari adversa valetudine, &  
innumerabilibus adversitatibus vitam finire;  
dic ipsi, nisi esset resurrectio & judicium, ne-  
quaquam Deus tanta mala passum, nullo bono  
fruitum, sineret hinc demigrare, unde planum  
est, quod aliam ipsi vitam paravit, præsente  
hac suaviorem, ac multo optabiliorem. Enim  
vero qua ratione id consisteret, quod improbos  
multos præsentem hanc vitam in delitijs dege-  
re passus est, justos vero multos in innumerabili-  
bus reliquit malis: cum sit & appelletur ju-  
stus, neveritq; justè cuiq; pro meritis gratiam  
referre. Et idem Chrysost, dicit: providit bo-  
nitas Dei, ut in hac brevi & exigua vita agones

A 3.

essent

essent ac labores: in illa vero quæ æterna est  
corona & præmia meritorum; ut labores qui-  
dem citò finirentur: meritorum vero præmia  
sine fine durarent. Hac corona æternum dura-  
tura insignita est puella mellitissima *Elisabeta*  
*Karmeiers*, cujus anima à corpore separata, a sanguine Iesu Christi filij Dei redemita, & à fôrdibus peccatorum per sacram baptismatis  
fontem purgata, non cum corpore extincta est,  
vel ad fictitious Poëtarum Elysios campos trans-  
iit, vel de hoc corpore in aliud migravit; sed  
in manu Dei est, & ad sanctissimas beatorum  
sedes sinumq; Abrahæ perducta est, ubi requie-  
scit, donec in die novissimo cum corpore reu-  
niatur. Cæterum vitam ingressa est piè defun-  
cta virguncula nostra anno proximè elapso  
sexcentesimo supra millesimum trigesimo, se-  
ptimo septembrib; paulò ante sextam vesperti-  
nam, prognata ex præcipuis & honestissimis  
parentibus. Patrem enim habuit virum Clari-  
ssimum ac consultissimum *Dn. Thedorum*  
*Karmeierum* J. U. D. judicij Provincialis &  
Consistorij Ecclesiastici Advocatum & procu-  
ratorem solertissimum, amicum nostrum ho-  
norandum: matrem vero fœminam virtutibus  
eum sexum decentibus conspicuam & piam  
*Elisa-*

*Elisabetham Piels.* Avus illi Paternus fuit Vir amplissimus & consultissimus *Dn. Jacobus Var-  
mejerus* J. U. L. & Reverendissimi ac Illustrissi-  
mi quondam Episcopi Osnaburgensium & Ver-  
densium, *Dn. Philippi Sigismundi* Ducis Brun-  
swicensis & Lunæburgensis Consiliarius ac Go-  
gravius per annos benè multos celeberrimus.  
Aviam paternam habuit *Catbarinam Storckiam*,  
matronam virtutibus sexum fœmineum con-  
decorantibus insignem, ex per vetusta *Storckio-  
rum* & *Rinteliorum* in Westphalia celeberrimi-  
mis familijs progenitam, adhuc cum mundi  
hujus difficultaribus colluctantem. Avo ma-  
terno nata fuit *Jacobo Piel* civi quondam hujus  
Urbe primario & templi apud nos Mariani  
præfecto industrio & fideli. Avia materna  
*Tilsche Dossen* matrona pia & honesta, quæ ad-  
huc annis gravis vitam hanc trahit.

His majoribus ac parentibus laudatis natæ  
piè defuncta nostra, longiori vita, si humano  
more loqui velimus, digna fuisset, verū non  
ita placuit illi, à quo primum vitam accepit.  
Erepta ergo est præsertim hisce miserrimis  
temporibus, ne malitia mutaret intellectum i-  
psiis ac dolum deciperet animum ejus, morbo  
infantili ætati familiaris, dentitio nimirunt,  
qui

qui s<sup>æ</sup>p<sup>e</sup> gravia Symptomata secum trahit, ut  
pote alui fluxus, convulsiones & similia alia,  
qua<sup>e</sup> tenellum hoc corpusculum diu sustinere  
non potuit. Hisce igitur malis per integrum  
octiduum exercita nudius tertius inter unde-  
cimam & duodecimam meridianam placide  
obdormivit. Cum autem parentes constitue-  
rint filiolæ suæ exanime corpusculum hodiè  
hora prima pomeridiana in templo Mariano  
terræ mandare, ideo rogo omnes jurisdic<sup>i</sup>  
tionem Academicam agnoscentes cujusq<sup>;</sup> sint or-  
dinis ut hodiè dicta hora in templo Mariano  
ad exequias agendas frequentes conveniant eas  
præsentia sua cohonestent, & sortis miseræ me-  
mores Ecclesiam & Academiam niduli Halcyo-  
nij instar fluctuantem Deo summo Rectori  
pijs precibus commendent. P. P. Sub Sigillo  
Rectoratus nostri ipso die Bartholomæi qui  
fuit 24. Augusti Anno 1631.







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77713831X/phys\\_0014](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77713831X/phys_0014)


DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn77713831X/phys\\_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77713831X/phys_0015)

DFG



relicum solatij esset, si spes ac-  
cissimæ post tot ærumnas illis  
etè itaq; post Apostolum Ignatium  
haç vita tantum in Christo spe-  
biliores sumus omnibus hominibus  
non resurgent, edamus, bibamus  
morimur. Hoc vero modo affe-  
discrimen erit inter nos & bestia-  
rum nullam habentes ratione-  
lem appetitum habent: destituti  
ratione, mentem intus gubernat  
est doctrina Chrysost. Quum  
justum premi & vexari adversariis  
innumerabilibus adversitatibus  
dic ipsi, nisi esset resurrectio &  
quaquam Deus tanta mala passi-  
frumentum, sineret hinc demigrare  
est, quod aliam ipsi vitam par-  
hac suaviorem, ac multo optabat  
vero qua ratione id consisteret,  
multos præsentem hanc vitam  
re passus est, justos vero multos  
bilis reliquit malis: cum sit &  
stus, noveritq; justè cuiq; pro rati-  
referre. Et idem Chrysost. dicit  
nitas Dei, ut in hac brevi & exigua

A 3.



the scale towards document